



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 1. Unde sponsalium nomen, & quid importet.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)



# LIBER QUARTUS.

## TITULUS I.

### De Sponsalibus & Matrimonio.

#### CAPUT I.

#### De Sponsalium Natura.

*Quest. 1. Unde Sponsalium nomen, & quid importet.*

**R**esp. Primò : Sponsalia à spondendo dicta, spon- sionem important, Spon- sio vero apud Juris Con- sultos promissionem fa- ctam per stipulationem significat. Barb. *h. t. n. 3. citans L. sciendum. ff. de adl. edict. L. sponsio ff. d. P. S.* Unde sponsa- lium nomen traductum à more antiquo, quo pu- ellæ nupturæ stipulabantur, seu per stipulationem promittebantur viro ab eis, sub quorum cura & potestate erant. *L. 2. de spons. Barb. l. c. licet dein moribus & legibus introductum, ut, dum res hæc est frequentissima, & necessaria ad Reipublicæ conservationem, sponsalia absque tali solemnitate nudis promissionibus viri ac mulieris, etiam per nuncium ac epistolam perficiantur. L. 5. ff. de sponsal.*

2. Resp. Ad secundum primò : Sponsalia tri- plicem significationem habent. Dum primò mi- nus propriè accipiuntur pro artha, aliisque mune- ribus à viro dari solitis mulieri sibi nupturæ. *L. 1. c. Si nuptia.* Secundò frequentius pro matrimo- nio rato non consummato, *c. fin. de spons. duor. c. qui desponsatam. 27. q. 2.* Unde celebrato jam matrimonio tali ante consummationem illius con- trahentes dicuntur habere sponsalia de præsentibus, & appellantur desponsati juxta illud Matth. 1. *Cum esset desponsata Mater JESU Maria Joseph : cu- jus tamen jam tum uxor erat, uti paulò post eodem textu appellatur. Tertiò frequentissimè usitatè- que magis ac propriè pro promissione matrimonii futuri, veluti ejusdem præambula. c. nostrates. 30. q. 5. L. 1. ff. de sponsal.* Quamvis plerumque etiam sponsi dicantur, qui matrimonio jam copulati

illud non consummatunt. Castrop. *tr. 18. d. 1. p. 1. n. 2.*

3. Resp. Ad secundum secundò; nomen con- jugis, uxoris, viri seu mariti propriissimè competit quidem iis, qui matrimonium consummarunt. Co- var. *p. 1. de sponsal. c. 1. n. 3.* nihilominus etiam ii, qui matrimonio juncti, illud non consumma- runt, nuncupari possunt conjuges. Vir, maritus, uxor. Castrop. *l. c. n. 3. citatis c. sufficit. c. omnes. 27. q. 2. c. consultationi. c. conjuges. de sponsal. & primum quidem constat ex illo Matth. 1. Noli ti- mere accipere Mariam conjugem tuam. Secundum ex illo Luca. 2. v. 5. Ascendit & Joseph, ut profite- retur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. Tertium ex Matth. 1. v. 16. Joseph genuit Joseph, virum Marie. Anverò prædicta nomina compe- tant quoque sponsis de futuro, non ita certum est. Affirmant competere illis quandoque, sed rariùs. Sanch. *L. 1. de mat. d. 1. n. 2.* Cöinck. *d. 21. du. 1.* ac ita in favorabilibus sub nomine uxoris & mari- ti comprehendi posse, inferunt iidem cum Gutt. *L. 3. 99. can. de mar. c. 1. à n. 5. & aliis arg. L. non sine. c. de bonis que liberis. ubi statutum disponens, ut ea, quæ uxor à marito quoad proprietatem ac- quirat sibi, non patri acquirat, extenditur ad spon- sos de futuro, quod tamen verum esse non posse, ostendit è contra Castrop. l. c. n. 4. ex c. si verò, de sentent. excomm. ubi secundum communem opini- onem ab excommunicatione can si quis suadente. excusatur percuciens Clericum turpiter agentem cum matre, sorore, uxore & filia; & tamen hæc dispositio, etsi favorabilis, non extenditur ad Cleri- cum verberantem turpiter agentem cum sponsa de futuro, ut ipsi sancti. Cöinck. Guttier. & si secus sit, & extendatur dicta dispositio, si sit sponsa de præsentibus, etsi à marito non cognita, ita ut ea no- mine uxoris comprehendatur. Ubi hoc observan- dum cum Castrop. l. c. & Covar. n. 4. quòd quo- ties dispositio aliqua dubia est, qualiter nomen**

R. P. Lewr. Jur. Can. Lib. IV.

A sponsi,

sponsi, viri, mariti, uxoris, & conjugis sumendum sit, præsumendum sit, nisi aliud aliunde colligatur, sumptum esse secundum communem & frequentiore usum, ita ut nomen *sponsi* ad sponfos de futuro conjugio, & nomen *mariti* & *uxoris* ad sponfos de præsentem referatur; quia verba statuti, dispositionis, legis semper, quo ad fieri potest, intelligenda sint propriè juxta c. in nostra. de injuriis.

4. Resp. Ad secundum tertio: Matrimonium, conjugium, nuptiæ, etiam hodie idem significant, Barb. l. c. num. 9. spectato etymo nominis in hoc differunt, quod matrimonium dicitur à matris officio circa prolem, nec immerito, dum præcipuus matrimonii finis est proles suscipienda: Barb. l. c. num. 6. Conjugium verò dicitur ab ipso vinculo, in quo consistit formaliter matrimonium. Barb. num. 7. ubi, quod nomen conjugii cæteris sit præstantius, quia substantiam actus petit. Nuptiæ verò (sic dicitur ab obnubendo, dum olim puellæ pudoris gratiâ se obnubarent, seu faciem velarent, dum viro dabantur) significant potiùs ipsam traditionem, quâ sponsa tradebatur viro, & primam contractus matrimonialis executionem continent citra copulam, ut Barb. num. 8. vel etiam ipsam solennitatem, quâ sponsa in domum viri inducebatur, juxta *L. mulierem ff. de ritu nupt.* ut & hodie non tam proprio matrimonii, quod consensu mutuo perficitur, quam pro externa illa solennitate supponunt; uti constat ex dispositione Ecclesiæ, quâ tempore adventus & quadragesimæ prohibentur nuptiæ, id est, pompantiales, non verò ipse matrimonialis contractus, si absque solennitate privatim ex causa instituat. c. 4. de ferus. Engels. b. r. n. 8.

*Quæst. 2. Sponsalia qualiter definiantur.*

**R**esp. Rectè illa defini per promissionem futuri matrimonii, consentiunt omnes juxta *L. 5. de sponsal. c. nostrates. 30. q. 5.* Barb. c. num. 4. Tiraq. de contract. connub. gl. 1. num. 19. Sanch. l. 1. de mat. d. 1. num. 7. Verùm, cum hic omnia sunt quædam spectantia ad essentiam sponsalium, nec ea satis comprehendantur in dicta matrimonii futura promissione, explicatiùs definiti possunt sponsalia cum Castrop. num. 5. Tolet. in sum. l. 7. c. 7. Valent. & c. quod sint mutua promissio matrimonii futuri, seu de matrimonio contrahendo, signo aliquo sensibili expressa; quibus aliqui addunt: inter personas de jure habiles. Singulorum terminorum hujus definitionis declarationem sufficientem dabunt quæst. seq.

*Quæst. 3. Qualiter promissio debeat esse vera, & non ficta seu simulata, ut sponsalia constituat.*

1. **R**esp. Primò: Promissio constituens sponsalia debet esse vera, & non ficta, seu simulata; quippe quæ promissio non est, sed promissionis fictio, adeoque nullatenus sponsalia constituere potest; quidquid sit de eo, an nihilominus fictè promittens obligetur ad matrimonium contrahendum, de quo mox; illud certum, peccare talem graviter fictè promittendo, & quidem contra justitiam; quia committit mendacium perniciosum in re gravi. Pirh. b. r. n. 4.

2. Resp. Secundò: Promissio exterius facta cum animo promittendi & se obligandi, absque tamen animo implendi id, quod promittitur, nempe contrahendi matrimonii, est vera promissio obligans in conscientia, supposita promissarii acceptance; cum obligatio non nascatur & dependeat ab animo implendi promissum, sed ab animo promittendi & se obligandi; unde jam sufficiens est ad constituenda sponsalia, & verè obligat ad contrahendum matrimonium. Castrop. l. c. p. 2. n. 2. cum communi.

3. Resp. Tertio: Promissio facta exterius seu verbotenus tantum, proferendo verba materialiter absque animo promittendi, seu utendo signis aut verbis in significatione formali, quam habent, non est vera promissio, essentialiter includens obligationem in conscientia, quæ solis verbis non inducitur, sed essentialiter supponit consensum & voluntatem internam; adeoque non sufficit ad constituenda sponsalia, & quod hinc sequitur, non obligatur talis vi sponsalium ad contrahendum matrimonium.

4. Resp. Quarto: Idem est de eo, qui promittit, sine animo tamen se illa promissione obligandi; quanquam, ut bene Castrop. c. num. 2. impossibile sit, aliquem velle seu intendere promissionem, & non habere intentionem se obligandi, vel etiam positivè nolle se obligare; cum de essentia veræ promissionis obligare promittentem ad præstandum. Unde jam infero, &

5. Resp. Quintò: Promittentem hoc tertio & secundo modo matrimonium non tantum non vi sponsalium, sed nullatenus, hoc est, neque ex fidelitate, neque ex justitia obligari ad contrahendum matrimonium; ita Less. de just. c. 18. du. 1. num. 5. Sanch. de mat. l. 1. d. 9. num. 2. Cönninck. d. 21. du. 2. concl. 1. Laym. l. 5. r. 14. p. 1. c. 1. num. 10. contra Vasq. de mat. d. 6. c. 3. num. 27. Pont. l. 1. c. 2. Gutt. l. 3. qq. can. de mat. c. 9. in princ. apud Castrop. l. c. qui tamen & ipse docet, talem, etiamsi non obligetur vi sponsalium, utpote quæ obligationem justitiæ inducunt, obligari tamen ex fidelitate. Verùm probatur responsio; imprimis talis non obligatur ex justitia: jus enim justitiæ non confertur solis verbis, sed voluntate & intentione manifestata, quâ jus, quod quis habet, intendit à se abdicare, & alteri concedere; sed qui non habet intentionem sese obligandi ad quicumque, multoque minus, qui non habet animum promittendi, non intendit transferre jus in alium; esto, pars altera verè promittens intendat in eum transferre, quod ipsa habet, saltem, dum fictè promittens illud non acceptat, sed simulat solum se illud acceptare. Dein neque talem externam promissionem inducere fidelitatis obligationem, ex eo evinci videtur, quod hæc obligatio nascatur ipso jure naturali ex fide alteri data de re illi utili præstanda; quia jus ipsum naturale obligat, ut verum faciat, quod alteri promissit. Jam verò talis alteri verè fidem non dat seu facit, quantumcumque is erroneè putet sibi fidem dari, qui intendit se nullatenus obligare alteri. Item jus naturæ non obligat ad faciendum verum, quod promissit, dum fictè promissit, seu animo non obligandi se ad illud faciendum; quamvis de cætero talis ad evitandum mendacium jure naturæ obligatus erat ad non utendum verbis, quæ animum obligandi significabant, dum hunc non habebat. Unde jam etiam ex eo, quod nemini conce-